ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Perillustris domine,

Hoc momento discedit a me cl. Hardboordius, qui clarissimum Gronovium nostrum ab Harderwicensibus vocatum et vocationem accepisse affirmat; nunc in manu tua est, optime Maecenas, praesidium et decus meum, clientem tuum veterem Daventriensibus COSS. commendare, ut successor designetur heroi tanto, non ~~quidem~~ heroi et ipse heros tantus, sed qui tamen non plane degenerem mundi incolam ait hospitem in bonis literis vivere aiunt, dicunt, perhibent, quique adeo honesta laudis cupidine accensus haud omnino indignum se provincia professoria publice gestit probare. non audeo equidem eadem toties rogando te obtundere, et metuo, ne mihi jam tute dicam ex Horatio decies, occidis saepe rogando. Sed tamen patiere, per pristinum tuum in me studium ac amorem, per perpetuam tuam erga omnes bonos benevolentiam, adhuc semel, semel rogari ut mei habeas memoriam atque rationem. adero propediem, si per valetudinem patris qui laborat ex catharro licebit coram. Maria Crombalckia virgo ingeniosissima, Tesselae filia et proles unica vere matrissans et Tesselizans, non Crombalkizans, in flore aetatis in amplexibus matris et matertere Annae hodie ex febre ardente exspiravit. qua profecto morte quae sorori meae lacrymas ubertim multisque longa suspiria expressit, ita me animi fractum sentio, ut vix sim apud me; quare stilo tumultuario et libertati meae juxta quaeso ignosce. Scribebam Alcmariae prid. Cal. Sept. CIↃ.IↃCXLVII.

Perillustris domine

tuus aeternum

Bruno

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 90
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4657

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 90
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4657

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 90
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4657

Mijn Heer

Mijn Heer van Zuijlichem, Ridder,
Raed en eerste Secretaris van S.
Hoogh.t &c.

In s'Graven Hage

Port.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 90
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4657